

1438 rebus omnibus juvare. Quod Principis studium Ferrarienses secuti, & ipsi omnia Veneto libenter præstiterunt. In Brixienſi interea Urceani Philippi opibus pertinaciter reſiſtere. Sed quod neque viſ, neque conatus ullus tam cito fuit hoſti daturus, Petri Lucenſis proſtitio dedit. Is a Mellita duce ad loci præſidium cum equitibus ducenſis miſſus, non multos poſt dies quam obſideri cœperat, Urceanos cum ipſo oppido Picinino tradidit.

*Mellita per
juga Al-
pium labo-
rioſa expedi-
tione Vero-
nam tranſit.*

Sed dum in ea oppugnatione eſſet hoſtis occupatus, tentatus eſt iterum a Mellita tranſitus: ſic factò opus eſſe & Barbaro & aliis magiſtratibus videbatur, ne urbs multitudine levata, tam cito fame premeretur. Cæterum conducibilius Reipublicæ arbitrari eſſe, copias aliquas, quas Veneti circa Veronam (ſi eo quoque Philippi arma perveniſſent) hoſti objicere poſſent. Qua igitur parte occaſio data eſt, Mellita iter arripuit: quia per plana parum ſæliciter fuerat reſ tentata, per altiſſimos montes & faltus pene invioſi ire conſtituit. Jacobus Antonius Marcellus, homo impiger, & Joannes Villanus, equeſtris turmæ præfectus, ad hoc ipſum præmiſſi, omnia prius diligenti cura explorarunt. Equitibus igitur cum Thaddæo Æſtenſi ſexcentis, ac peditibus mille ad præſidium urbiſ relictiſ, edictum eſt reliquis ut curarent corpora, ac ſecunda noctis vigilia cum armis & rebus omnibus aſſent ad profectionem parati. Intempeſta nocte copiæ ex urbe educæ, per Sabienſium vallem iter ad montes intendunt. Multi Brixienſium, perſuaſi quidam, ſed plures ſua ſponte Veneta ſigna ſunt ſecuti: in quibus fuit Petrus Advocarus, Leonardus Martinengius, & Antonius ejus frater. Sabienſes (qui Tridentini Antiſtitis, cui parebant, in Venetos odium non ignorabant) conſpecto agmine, conſternati arma capiunt: ſed aperta vi non auſi congregi, anguſtiis viarum, qua Venetum ducturum ſciebant, abruptis, iter impedire ſunt adorti: aliquot etiam extra ordinem naſti, aut ſæde trucidarunt, aut per ſubjectas præcipitavere rupeſ. Diſſimulare eam injuriam ductor Venetus, militem ut gradum adderet, ut ſigna ſequeretur, vehementer hortari.